

S. OTHMARVS ABBAS S. GALLENSIS.



O Thmarus ille in Suevia apud Germanos natus, atq; apud Curiam Rhetorum bonis literis institutus fuit. propterea cum felici indole & optimis motibus esset præditus, factum est ut alios omnes æquales suos pietate & eruditione longe superaret. Eo autem tempore celebris schola à S. Gallo prius in eremis instituta, passim commendabatur. itaque multi homines eruditii ibidem confluebant. Cum uero multa præter ordinem ab ijs fieret, atque quisque alteri præferri cuperet, tandem eius schole optimates ad Vualtratum comitem (qui nomine Pipini regis Francorum Caroli Martelli filio ijs in locis præsidebat) uenerunt petentes, ut Abbatem aliquem ipsis ordinaret, quem tanquam patrem obseruarent, atq; eius iussa capesceret. Itaq; Vualthramus hunc Othmarum ad Pipinum transmisit, atq; effecit ut is ab eodem in Abbatem S. Gallensem primum constitueretur, Anno post Christum natum 720.